

singulos hujusmodi actus, propter eandem rationem, quia nemo petit id quod per se facere potest. Antecedens patet, quia possumus et Christiana oratione a Deo petere salutem, scientiam, pluviam, et alia bona temporalia; ergo et virtutes morales acquisitas, et actus earum, in illis præcise sistendo. Respondeo concedendo hanc orationem esse possibilem, et in rigore non esse peccaminosam, quia tacite includit conditionem, vel moderationem, ut talia bona vel prosint, vel saltem non obsint vitæ æternæ, quæ conditio facilius includitur in petitione bonorum actuum moralium naturalium, nam illi de se non possunt obesse vitæ æternæ, esto ad illam positive non conducant. Esset tamen ille modus orationis imperfectus, quia non parva imperfectio est sistere in bono non fructuoso ad vitam æternam. Imo existimo talem orationis modum non esse in usu fidelium credentium per sua opera se consecuturos vitam æternam. Nullus enim est qui cupiat bene operari, qui non simul eadem opera sibi ad salutem proficere maxime desideret: unusquisque autem petit id quod desiderat. Quamvis autem demus petitionem talium bonorum operum posse fieri, ex illa non licet inferre esse necessariam gratiam ad talia opera sic facta; tum quia illa oratio non est necessaria, et est valde imperfecta; tum etiam quia per illam orationem non id petimus ut bonum gratiæ, sed ut bonum naturæ. Sicut quando petimus pluviam, vel sanitatem, non petimus in rigore gratiam, sed naturalia beneficia. Quod si in eogenere petimus aliquid ultra concursum debitum ex generali providentia, non postulamus illud ut simpliciter necessarium ut effectus fieri possit, sed quatenus potest esse necessarium ut effectus fiat, ut in dicto libro de oratione latius explicui, et ad præsentem materiam possunt ibi dicta melius et facilius applicari.

8. *Locupletatur proxima solutio.* — Nam licet gratia vel extraordinarius favor non sit simpliciter necessarius ad singulos actus honestos, considerando rem ipsam secundum se, nihilominus nullus est actus ad quem, ut in individuo recte fiat, non possit esse necessaria gratia, vel specialis favor, secundum divinam præscientiam. Quia licet possit homo cum solo ordinario concursu Dei, hic et nunc efficere bonum actum in quacumque designata occasione, nihilominus contingere potest ut Deus præsciat hominem cum his solis subsidiis non esse bene operaturum, nisi amplius adjuvetur. Cum ergo homo nesciat quando et quomodo

occurrere possit illa necessitas, merito semper petit auxilium etiam tanquam necessarium, ut effectus certo fiat, quia contingere potest ut sit necessarium ad facere, licet non sit ad posse. Eo vel maxime quod, licet homo possit unum vel alium actum facere, tamen, si cum sola illa generalitate relinquatur, fere semper faciet male, et vix aliquando bene, et ideo etiam intra ordinem naturæ postulandum est auxilium Dei, ut necessarium simpliciter ad bonos mores absolute loquendo, et ad singulos actus contingenter, modo explicato.

9. *Argumentum quartum.* — Quarta ratio adjungi solet, quia ex nostra sententia sequitur non debere nos agere gratias Deo, quando bonum aliquid morale ex solo naturali motivo honesto facimus: consequens est falsum; ergo. Sequela patet; nam pro his quæ in potestate nostra sunt, et nostra virtute facimus, non est quod alteri gratias agamus. Et ideo Patres ex obligatione gratias agendi Deo pro fide, vel bonis moribus, necessitatem gratiæ colligunt, ut patet ex Augustino, epist. 107, et libro de Prædest. Sanctor., cap. 19; et Prosp., lib. 1 de Vocatione gent., cap. 23, alias 8. Minor autem et repugnat gratitudini Deo debitæ pro bonis omnibus, quorum ipse est auctor, et Paulo dicenti 1 ad Thessal. 5: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*, et ad Ephes. 5: *Gratias agentes semper pro omnibus*. Et est contra Augustinum, qui lib. 2 Confess., c. 7, non minus gratias Deo agit pro peccatis non commissis, quam pro remissione eorum quæ commisit: *Gratiæ (inquit) tuæ deputo, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti; gratiæ tuæ deputo et quæcumque non feci mala, quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi. Et omnia mihi dimissa esse fateor, quæ mea sponte feci mala, et quæ, te duce, non feci*. Si ergo pro peccato non commissio gratiarum actio debetur, multo magis pro quocumque actu virtutis naturalis, quia hoc aliquid majus beneficium est, quia dum fit, non solum peccatum vitatur, sed etiam aliquid boni fit.

10. *Solvitur.* — Hoc vero argumentum idem fere est cum præcedenti, et ita eandem habet solutionem. Nam gratiarum actio pars quædam est orationis generaliter sumptæ; si vero sit sermo de oratione prout specialiter significat petitionem, sic oratio respicit beneficium faciendum, gratiarum actio jam factum. Nam, ut recte dixit Augustinus supra, dicta epist. 107: *Qui est orandus ut faciat, illi est gratiarum actio reddenda cum fecerit*; et ita Pau-

lus interdum pro infidelibus orat, ut convertantur, 2 ad Thes. 3; interdum gratias agit pro his qui jam crediderunt, ad Ephes. 1. Sicut ergo diximus quodcumque opus bonum morale, etiam naturale, esse beneficium Dei, ut gubernatoris naturæ providentis occasiones bene operandi, et ad bonum opus cooperantis, saltem generali concursu, ita pro quocumque simili opere gratiarum actio Deo debita est. Et ita simpliciter negatur sequela argumenti, quia non solum pro bonis gratiæ, sed etiam pro bonis naturæ, gratiæ Deo debentur, quamvis pro prioribus bonis multo ampliores et excellentiores debeantur, ut recte declarat August., lib. 5 de Civit., cap. 31, et lib. 1 Confess., cap. ult. Neque huic gratiarum actioni obstat quod opus fiat sine auxilio gratiæ, satis est enim quod non fit sine auxilio et providentia Dei.

11. *Promovetur solutio.* — Quando autem Sancti ex gratiarum actione colligunt auxilium gratiæ, loquuntur de operibus quæ ad providentiam naturalis ordinis non pertinent, ut est fides, et quæ ad illam consequuntur; quod aperte constat ex Augustino et Prospero in locis citatis. Unde etiam loquuntur de gratiarum actione ex eadem fide profecta, quæ altioris ordinis est, ut dixi, quam quæ pro naturalibus bonis debetur, et lumine naturæ cognosci potest. Cum autem Paulus pro omnibus dicit esse gratias agendas, generaliter loquitur tam de bonis naturæ quam de bonis gratiæ, ut per se manifestum est. Et similiter Augustinus, cum gratiæ deputat omne peccatum non commissum, vel generatim loquitur de gratia, prout comprehendit omne liberale beneficium Dei; non enim tunc contra Pelagianos disputabat, ut cum eo rigore de gratia Dei loqueretur; imo verisimile est, cum illa scripsit, nondum Pelagianos fuisse exortos, quantum colligi potest ex lib. 2 Retract., c. 6. Vel certe specialiter loquitur de illis peccatis quæ post vocationem, et ex illa tanquam ex radice et fonte, non commisit, ut indicant illa verba: *Omnia mihi dimissa esse fateor, quæ te duce non commisi*: ponderanda est enim illa particula, *te duce*, quæ proprie significat peculiare gratiæ regimen, quod a vocatione incipit, ut est vulgare apud ipsam Augustinum.

12. *Tria alia argumenta proponuntur tribus sequentibus capitibus resolvenda.* — Præter hæc argumenta, fiunt alia ab incommodis; quia, si morale opus bonum fieri potest sine gratia, etiamsi tentatio urgeat fieri etiam poterit sola libertate, quia tentatio non mutat speciem

actus, nec motivum operandi, sed solum addit aliquam difficultatem, quæ non reddit actum simpliciter impossibilem. Item si vel unus actus bonus fieri potest sine gratia, eadem ratione quilibet actus ordinis naturalis, quantumvis excellens, poterit fieri sine gratia, quia nunquam superat facultatem naturalem voluntatis, licet fortasse difficilius fiat. Denique infertur, qui sua potestate facit unum opus bonum, eadem posse facere omnia, quæ longo tempore occurrunt, sine defectu, quia sicut singula, ita etiam omnia subsunt eidem facultati, et sunt ejusdem ordinis, et non simul, sed sigillatim, et successu temporis occurrunt. Hæc vero argumenta postulant graves quæstiones, quæ in sequentibus tractandæ sunt.

## CAPUT XXIII.

UTRUM AD SINGULAS TENTATIONES LEGI NATURALI REPUGNANTES SUPERANDAS, SINGULARE GRATIÆ AUXILIUM NECESSARIUM SIT?

1. *Capitis materia.* — In superioribus simpliciter locuti sumus de bonis actionibus moralibus, et indefinite diximus posse interdum sine auxilio gratiæ fieri, quod maxime locum habere potest ubi peculiaris difficultas in opere non invenitur, et ideo nunc inquirendum superest quid dicendum sit quando illa occurrit. Non loquimur autem de difficultate quæ est quasi per se in actu qui naturæ ordinem transcendit, et supernaturalia præcepta concernit (nam hic solum de his quæ ad naturæ ordinem pertinent disputamus), sed agimus de difficultate quasi per accidens ex tentatione occurrente proveniente. Est enim tentatio, quoties eo tempore quo bonum faciendum est, occurrit motivum aliquid humanum ab illo bono animo avertens, vel, cum malum vitandum est, instat aliquid incentivum, quod ad illud faciendum inducit, et quia hæc omnia contingenter et accidentarie occurrunt, ideo difficultatem hanc accidentariam voco. Quæ considerari potest, vel in quocumque actu bono determinate in quovis gradu occurrat, vel prout in aliquibus specialiter invenitur cum magno excessu seu gravitate, vel denique prout in multis actibus per longum temporis cursum inveniri potest. Et in universum omnis difficultas boni operis, quæ oritur ex concupiscentia, et corruptione naturæ lapsæ, potest dici per accidens, quia revera est actui extrinseca, et aliquo modo ex tentatione provenit. Aliquando vero crescit ex actus excel-

lentia, ut in amore super omnia Dei auctoris naturæ, vel in exponenda vita pro republica, et de his omnibus dicemus; a generalioribus autem incipimus, ut expeditior et facilius sit doctrina.

2. *Notatur primo.*—*Tentatio levis ac gravis, quæ.*—Est igitur imprimis animadvertendum inter tentationes, quasdam esse leves, alias autem graves seu gravissimas, et vehementes. Non dicuntur autem graves ex materia, id est, quia inclinant ad peccatum leve, vel grave, quia hæc distinctio (quamvis alias dari posset) in præsentia non deservit; dicuntur ergo tales ex modo, juxta illud Pauli 1 Cor. 10: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, ubi tentationem levem (juxta Chrysostomum, Theodoretum et Theophylactum) vocat humanam, id est, homini fragili attemperatam, et indicat esse alias graviores et gravissimas, cum ait Deum non permittere ut sint supra vires. Igitur tentatio levis dicitur quæ, vel ex parte intellectus parvam vel inefficacem habet suasionem, vel ex parte appetitus debilem inclinationem, vel etiam est levis quæ ad momentum seu brevissimo tempore durat, quamvis alioqui intensa seu vehemens videatur; gravis autem dicitur quæ pertinaciter suadet multo tempore, constanter ac moleste, poteritque hoc titulo gravis censeretur, etiamsi pro singulis temporibus non sit admodum vehemens, dummodo aut suasio sit per se magna, aut cum passione aliqua et inclinatione sit conjuncta. Hi autem gradus tentationum non possunt certa regula vel gradu definiri, sed prudenti arbitrio pensandi sunt, et maxime considerandi sunt per comparisonem ad eum qui tentatur. Nam aliqua tentatio erit gravis uni, quæ alteri esset levis, propter varias eorum complexiones, ingenia, mores, vel doctrinam, quæ omnia ponderanda sunt.

3. *Notatur secundo.*—*Tentandi et tentantium varietas.*—Præterea, modi tentationum varii sunt; communiter vero ad tria genera reducuntur, quæ a tribus animæ inimicis proveniunt, carne, mundo, et dæmone: ex quibus prima dici potest ab intrinseco, aliæ duo ab extrinseco, scilicet, secunda ab hominibus, tertia a dæmonibus: ab Angelis enim Sanctis vel Deo nulla est tentatio inducens ad malum, teste Jacobo, c. 1; sed sola illa tentatio, quæ probationis vel tribulationis dicitur, a Deo est. Igitur tentatio quædam est veluti ab intrinseco, et quasi connaturalis, ut est illa quæ nascitur ex complexione et appetitu hominis,

mediis tantum his sensibilibus objectis, quæ vitare non possumus, de qua Paulus: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, etc.* Alia est tentatio quæ a mundo esse dicitur, id est, quæ nascitur ex consortio aliorum hominum per mala consilia, vel prava exempla. Tertia denique oritur ab extrinseco, ut a dæmone, quæ dici potest quodammodo ultra, vel præter naturam, quia hoc bellum cum dæmonibus non est mere naturale, sed ex altiori providentia, aut permissione divina introductum. De quo Paulus loquitur dicens: *Non est colluctatio nobis adversus carnem et sanguinem, etc.*, ad Ephes. 6.

4. *Notatur tertio.*—*Tentationes vincendi modi varii.*—Deinde oportet præmittere variis modis posse tentationem vinci. Primo, non solum non peccando, sed etiam proficiendo aliquo modo in ordine ad salutem et vitam æternam, qui est proprius victoriæ modus, ut notarunt D. Thom. in 2. dist. 28, q. 1, a. 2, ad 6, et ibi Bonav. et Richar., qui volunt hanc solam esse propriam victoriam tentationis, et illam solam hac voce debere significari, juxta Aug. lib. 21 de Civ., c. 16, dicentem: *Tunc victa vitia deputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Secundo modo contingit superari tentationem, nihil omnino peccando, neque in ordine ad salutem proficiendo, sive quia homo negative se habet suspendendo actum (ut quidam fieri posse existimant), sive, quod magis morale est, eliciendo actum ordinis naturalis propter aliquam honestatem moralem tentationi contrariam, quod D. Thom. supra dicit proprie esse resistere potius quam vincere, quo modo loquendi, brevilitas causa, utemur, licet communiter uterque modus superandi tentationem victoria ejus vocetur. Est vero tertius modus vitandi unius peccati tentationem, incidendo in aliud peccatum, ut cum quis vincit tentationem avaritiæ ex affectu luxuriæ, aut quid simile. Et de hoc tertio modo nulla est controversia, quia Deus non juvat ad peccandum, et quia illa revera non est victoria peccati, quia non vitatur, ut vitetur malitia, sed ut ad aliud pravum obtinendum conducat. Unde optime dixit Aug., l. 3 cont. duas epist. Pelag., c. 4: *Cardinalis cupiditas qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur.* De primo vero modo vincendi tentationem controversia olim fuit cum Pelagianis, ut jam dicam, nunc vero nulla est inter Catholicos, igitur de secundo modo est noster in præsentia sermo.

5. *Notatur quarto.*—*De tentatione perturbante omnino judicium non agitur.*—Unde

supponendum est ulterius quæstionem solum procedere, quando tentatio non perturbat rationem, ita ut impediatur libertatem sufficientem ad peccatum mortale. Nam si tanta sit perturbatio rationis, ut libertas tollatur, contingere quidem poterit ut homo non possit vitare illum actum materiale, ad quem tentatio inclinatur, juxta doctrinam D. Thomæ 1. 2, quæst. 80. a. 3. Tunc autem tollitur potentia peccandi, et non habet locum quæstio. Interdum vero contingit auferri libertatem perfectam, seu necessariam ad peccandum mortaliter, relinqui tamen aliquam, quæ satis sit ad peccatum veniale, quod ex subreptione vocant, et tunc quodammodo aufertur potestas saltem moralis vincendi omnino tentationem illam, et ideo illos indeliberatos actus hic non consideramus, sed tantum illos quos, non obstante tentatione, potest animus cum sufficienti deliberatione vel committere, vel vitare.

6. *Notatur quinto de cujus gratiæ necessitate procedat quæstio.*—Denique cum de necessitate gratiæ inquirimus, non limitamus sermonem ad gratiam habitalem et sanctificantem: quia inter catholicos extra controversiam est, hanc gratiam non esse necessariam ad singulas tentationes vincendas. Nam sicut supra ostendimus posse hominem sine hac gratia aliquod bonum opus facere, ita est certum posse aliquam tentationem vincere, nam est eadem ratio, ut etiam ex dicendis constabit, et ideo quæstio de proprio gratiæ auxilio proposita est.

7. *Errorem Pelagii in hac materia quoad duo constat fuisse damnatum.*—Fuit autem in hac materia error Pelagii, qui absolute asseruit victoriam tentationum non adjutorio divino, sed libero arbitrio esse tribuendam. Qui error simpliciter damnatus fuit in Concilio Palæstino, et in Milevitano, cap. 3, et Arausicano, c. 9, ut in proleg. 5 satis ostensum est. Quo autem sensu damnatus fuerit, inter Catholicos disputatur. Duo vero sunt extra controversiam: unum est errasse Pelagium, quia putavit victoriam quarumcumque tentationum per quodcumque vitæ tempus, et, ut loquitur Hieronymus, dialog. 2, *cum absoluta impeccantia*, esse in potestate solius liberi arbitrii. Secundum est, quia ponebat illam victoriam non solum quantum ad carentiam culpæ, sed etiam quantum ad fructum salutis, ex eisdem viribus liberi arbitrii. Quoad hæc ergo duo, certum est damnatum esse illam hæresim, et de primo puncto dicemus capite sequenti. Pro secundo vero faciunt adducta in c. 15, et

in libro sequenti jacienda sunt fundamenta illi errori contraria; nunc opiniones inter Catholicos tractandæ sunt.

8. *Inter Catholicos 3 opiniones affirmantur.*—Prima opinio est, hominem sine adjutorio gratiæ nullam omnino, etiam minimam, tentationem posse ita vincere, quin aliquo modo peccet. Ita tenent Gregorius et omnes qui negant posse fieri bonum opus sine auxilio gratiæ, et est plane consequens, quia vincere hoc modo tentationes, bonum opus est, quia sine aliquo opere seu positivo actu moraliter non fit. Unde si victoria sine ulla culpa obtinetur, oportet ut per actum bonum fiat, vel fieri possit, quia vel non datur actus indifferens in individuo, vel per illum solum raro vincitur tentatio ad peccatum inducens. Deinde sæpe tentatio est contra affirmativum præceptum, quæ non potest vinci sine actu consentaneo præcepto; ergo si quis non potest facere actum illum simpliciter, et sine ulla tentatione spectatum, multo minus poterit facere urgente tentatione. Itaque illi auctores consequenter loquuntur. Refertur etiam pro hac parte Petrus Soto in Instit. Sacerd., lect. 16 de Pœnit.; sed ibi de hac re non disputat; unum autem verbum quod incidenter dicit, eundem sensum habet quem sententiæ Patrum statim referendæ, et in sequentibus, tractando de amore Dei, id explicabimus. Adducitur etiam Abulens. in c. 19 Matth., q. 178, sed ille disputat hanc materiam late a quæst. 174 per sequentes, et sine dubio eandem doctrinam docet, quam infra trademus: interdum vero communem cursum et auxilium providentiæ generalis lato modo vocat gratiam, quia liberaliter datur, distinguendo tamen illam ab speciali gratia, quæ docetur necessaria ad salutem, ut supra etiam notavimus. Cardinalis etiam Bellarm. videtur huic sententiæ annuere lib. 5 de Liber. arbit., c. 7, licet prius concesserit posse fieri actum bonum morale sine gratia; sed ipse alia via procedit, de qua in fine dicemus.

9. *Arguitur pro opinione hac, primo ex Scriptura.*—Fundamenta hujus sententiæ sunt ejusdem generis cum his quæ adduximus in præcedenti controversia. Nam imprimis afferuntur loca Scripturæ in quibus victoria tentationum Deo adscribitur; Psal. 27: *In te eripiar a tentatione*; et Psal. 29: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Item illa in quibus oratur Deus pro victoria tentationum, quæ oratio est frequentissima, præsertim in Psalmis, et Christus Dominus

illam posuit in sua formula orandi, Matth. 5: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quam exponens Cyprian. de Orat. Dominica, dixit id fecisse Christum ne possit homo in aliquo superbiere. Unde Luc. 22, et Matth. 26, monuit idem Dominus: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Quæ verba expendens Hieronym. contra Pelag., dialog. 2, ait: *Si libertas arbitrii satis esset ad vincendam tentationem, non fuisse Christum dicturum: Vigilate et orate, sed: Attendite et resistite per liberum arbitrium.* Præterea de tentationibus carnis dicit Paulus Roman. 7: *Sentio aliam legem in membris meis;* et infra: *Quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.* De tentationibus mundi solet intelligi illud 1 Corinth. 10: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere,* utique tyrannorum et mundi persecutiones, et tentationes; et sic etiam dicitur 1 Joan. 5: *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* De tentationibus vero dæmonis dicitur 1 Pet. 4: *Cui resistite fortes in fide;* et ad Ephesios 6: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli,* etc.; et infra: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.*

10. *Secundo, arguitur ex Pontificibus et Conciliis.*—Secundo, in eadem sententiam allegantur Pontifices et Concilia: nam Innocent. 1, in epist. 25 ad Concilium Carthaginens., et 26 ad Milevitan., alias 91 et 93 inter epistolas August., inter alia inquit: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium;* et infra de Christo Domino ait: *Quamvis hominem redemisset a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit, quotidiana præstans illi remedia: quia nisi freti confisque nitamur, nullatenus vincere poterimus errores. Necesse est enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Quæ verba allegat Colesinus in sua epistola, cap. 6, ex eis colligens neminem sine Dei adjutorio idoneum esse ad vincendas quotidianas carnis et dæmonis tentationes, et cap. 9 eum dixisset *superbum esse, ut quidquam sibi humana natura præsumat, ut maxime hoc propter victoriam tentationum dictum*

intelligatur, subjungit loca Pauli allegata, Ephes. 6. et Rom. 7. Idem Concilium Carthaginense, in epistola ad Innocent., 90 apud Augustinum, de Pelagianis dicit, e medio tollere illam partem orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem,* si absque auxilio gratiæ tentationes vinci possunt. Idem sumi potest ex Concilio Milevitano cap. tertio, quatenus damnat dicentes gratiam non dari in adjutorium ad cavenda peccata, nam peccata non caventur, nisi tentationes vincendo. Sic etiam Cone. Arausican., cap. 4, dixit: *Divini esse numeris, quoties pedes nostros a falsitate et injustitia tenemus, quod profecto facimus quoties alicui tentationi resistimus;* et cap. 14: *Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.* Concilium item Palæstinum damnavit propositionem Cœlestii, quod victoria peccatorum, quando illa non committimus, non sit ex gratia, sed ex libero arbitrio.

11. *Tertio, ex Patribus.*—Tertio his accedunt testimonia Patrum, et ex antiquioribus Cyprianum et Hieronymum jam retulimus, quibus addo Basilium in Moral., regul. 62, c. 3 et 4, in singulis tentationibus ait gratiæ auxilium esse postulandum; et de eodem argumento habet integram homiliam, post librum de Baptismo, quod sine divina virtute et gratia resistere Satanæ non possit quisquam. Item Chrysostomus, licet alias multum tribuat libero arbitrio circa operationem moraliter honestam, de victoria tentationum dicit totam esse tribuendam Deo, homil. 62 ad Popul.; et homil. 24 in 1 ad Corinth., interrogans ad quas tentationes sit necessaria gratia, respondet: *Ad omnes, ut ita dicam.* Et Theophylact. ibi: *Quævis tentatio vires nostras exuperat, nisi ille auxilietur nobis.* Item Ambros., in Ps. 43, circa id: *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: Quis* (inquit) *est tam fortis ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus adjutor ei assistat.* Quod majori cum exaggeratione dixit Augustinus sermone decimo tertio de Verbis Apostoli, c. 9: *Hæc est* (inquit) *malitia nostra, in hoc agone cum confligimus, Deum habemus spectatorem; in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adjutorem; si enim non ipse nos adjuvat, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus.* Idem late confirmat epist. 89, quæst. secunda, princip., urgens varia Scripturæ loca, præcipue illum 1 Corinth. 10: *Faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Ut quid* (inquit) *dixit Deum facere, si hoc sine ipsius adjutorio in nostra*

est potestate? Idem habet cum aliis Patribus Concilii Milevit., in epist. 82 ad Innocent., et cum aliis quatuor Episcopis, epist. 63 ad eundem, ubi ad tentationes concupiscentiasque vincendas, ait esse necessariam gratiam, qua per subministrationem Spiritus et occultam misericordiam conferat ille qui dat incrementum, Deus; et ibidem declarat hanc gratiam esse necessariam ad singulas tentationes vincendas. Et quod gravius est, in epist. 106, dicit ad vitandum peccatum nihil voluntatis arbitrium valere sine gratia. Eademque doctrinam repetit lib. 1 de Gratia Christi, cap. 26, 27 et 47; et lib. 1 de Perfect. justitiæ, respons. 9, et lib. 50 Homil., hom. 23, et in Soliloq., c. 15 et 16, ubi eleganter describit modum divini auxilii in vincendis tentationibus; et cum illo Prosper contra Collator., præsertim cap. 35; et Paulus Orosius, lib. de Liber. arbitr., contra Pelag.; Greg., lib. 9 Moral., c. 29, alias 37, et in Ps. 3 Pœnit.; Cyrill., lib. 9 in Joan., c. 45, in fine.

12. *Rationes pro eadem opinione summam attinguntur.*—Rationes vero pro hac sententia sumuntur, vel ex necessitate orationis, vel ex gratiarum actione quæ Deo agenda est in victoria cujuscumque tentationis, etiam minimæ, vel ex arrogantia, quia alias haberet homo unde gloriari posset. Item quia si homo per se posset aliquam tentationem vincere, posset etiam quamlibet licet gravem, imo et omnes quovis tempore, quia omnes sunt ejusdem ordinis, et omnes vincuntur per actus ejusdem rationis, et ex illis circumstantiis solum additur difficultas, quæ non reddit effectum impossibilem, sed difficilem. In explicanda vero propria ratione ex qua hæc necessitas oriatur, invenitur diversitas inter auctores quoad tres modos de bonis actionibus supra explicatos, quos hic non est necesse repetere. Additur vero hic quartus modus, qui hoc modo explicatur. Nam si tentatio est gravis, eo ipso vinci non potest sine gratia; si vero est levis, hoc ipsum est gratia Dei; ergo semper victoria tentationis est gratia, vel consequenter (ut sic dicam) vel antecedenter facta comparatione ad tentationem. Et ideo dixit Ambros. lib. 4 in Luc., circa id: *Et consummata omni tentatione: Non debemus tentationes sæculi pro malis timere, sed magis rogare, contemplatione conditionis humanæ, ut eas tentationes subeamus, quas ferre possimus.* Et huic etiam spectat dictum August. cap. superiori tractatum, ex lib. 2 Conf., cap. 7, gratiæ Dei tribuendum esse omne peccatum quod non committimus; quia si ejus occasio, vel tentatio occurrit, gratia Dei

facit ut vincatur; si vero non occurrit, gratia Dei facit ut non veniat; et lib. 10, c. 31: *Ebriosus* (inquit), *nunquam fui, sed ebriosos a te sobrios factos ego novi; ergo a te factum est ut hoc non essent qui nunquam fuerunt, a quo factum est, ut hoc non semper essent qui fuerunt.* Idem, lib. 50 Homil., in 23, c. 6: *Hic multa commisit, et multorum debitor factus est. Ille gubernante Deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit, huic et iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, nondum illuminatus, nondum bonum malumque discernens, nondum credens in illum qui te nescientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres suasor defuit: ut suasor deesset ego feci. Locus et tempus defuit: et ut hæc deessent, ego feci. Affuit suasor, non defuit locus, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentiret, ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes et quod non admisisti. Mihi debes et tu quod non admisisti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.*

13. *Secunda opinio negativa et vera.*—Nihilominus dicendum est non esse necessarium speciale gratiæ auxilium, ad quamcumque tentationem in particulari vincendam, quia homo sua libertate utens potest vincere singulas tentationes seu quamcumque illarum secundum se spectatam. Hanc assertionem in specie docent Bonavent. in 2, dist. 28, art. 2, quæst. 2; Ægid., dub. 4 et 5, § *Ad primum*; et ibi etiam Gabriel, et melius lect. 78 in canonem, dub. 5; Henricus, quodlib. 5, q. 20; et ex modernis Soto 1, lib. de Natur. et Grat., cap. 21 et 22; et Vega, opuse. de Justificat., quæst. 12 et 13; Medina in 1. 2, locis citatis, et quæst. 10, art. primo, eamque supponunt Ruardus, Stapletonius, et alii capite sequenti citandi.

14. *Locus ex Paulo citari solitus pro hac sententia non urget.*—Probari potest primo ex illo Pauli 1 ad Cor. 10: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra id quod potestis,* quia nimirum succurrit per gratiam, ubi natura non sufficit; ergo supponit Paulus aliquid nos posse, nam dicit: *Ultra id quod potestis.* Ergo saltem minores et leves tentationes possumus aliquo modo superare, saltem non consentiendo. Sed hic locus non concludit, quia Paulus non dicit ultra id, quod potestis per li-